



FRANCISCO

BARBERINO

S. R. E. Eminentissimo, & Reue-  
rendissimo Cardinali, & Can-  
cellario Apostolico.




D. Hieronymus Perottus Casinensis Abbas S. D.



*N* hac publica totius mei ordinis  
gratulatione, nec silendum quidem  
mihi arbitrans, tibi hoc opus meum  
dedicans, summopere letor Emi-  
nentissime Domine, nos omnes Ca-  
sinenses sub tuum patrocinium con-  
sedisse; benevolentia Pontificis Ma-  
ximi *VRBANI OCTAVI* Patruī tui. Qui tibi inter  
tot graues curas distracto nostram comendauit *Rempu-  
blicam*. Etenim ut grauissimum est amoris argumen-  
tum, nos tibi destinari à tali Pontifice. sic nihil à te non  
sperandum, quod benevolentia non sapiat, & beneficen-  
tia. Ita uniuersa *Respublica Christiana* non vulgari  
gratulatione experta est, inter *Hispanum, Gallumque*

D E

# CONSTANTIA IN ABDICATIONE MAGISTRATVS.



*Scribendi occasio. Cap. I.*



**M**AGISTRATVS tui abdica-  
tio, Amice carissime, ita perculit  
animum meum, vt nihil me pertu-  
lisse acerbius in omni vita velim  
existimes. Duo sunt, quæ maximo-  
pere me conturbant, infortunij  
pondus, & magnitudo iniquitatis,  
quæ cum concurrerint in scelere,  
à quo prostratus iaces, dolori, ce-  
dente constantia, succubui. *Exter-*  
*notum bonorum maximus est ho-*  
*nos, dicebat Philosophus, & Tacitus, sæpè socij nostri excindi*  
*urbes suas: seque cum coniugibus, ac liberis cremari pertule-*  
*runt, neque aliud pretium exitus, quàm fides, fama que.* Quàm  
grauius vero sit detestandum scelus ex hoc erit conspicuum.  
In nocturno prælio cum filius interemisisset patrem adeo exe-  
crabile visum fuit. *Vt per omnem aciem, miraculum, & que-*  
*stus, & sæuisissimi belli execratio.* At Tacitus, at quanto est fu-  
nestius in summa luce iudiciorum, vt amicus fidum amicum  
perimat imposturis! Et eo est asperior rei conditio, quod nec  
conqueri possis prævalente iudicis auctoritate, cuius rei certè  
nec reminisci possumus sine lachrymis, correpta innocentia  
ab iniusto tribunali, nam & si pleraque mala accidant homini  
temeritate fortune, tuum vero cum non nisi præmeditata ma-  
litiæ possit ascribi, ita sceditatem criminis horruis, vt territus  
vix apud me fuerim, nec quisquam est adeo mali expers, **illud**

Nic. 4. c. 3.

Hist. 4.

Hist. 3.